



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima**

**Martini, Martino**

**Monachii, 1658**

Decimusquartus Imperator Uonus. Imperavit annis XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11848**

bella ad ejus ætatem usque processerant. In eo libro illud maximè secutus est, ut reges omnes ad obedientiam allecti, antiquas Sinici imperij leges denuo acciperent. Enarrat earum præstantiam & commoda; execratur mala, quæ nascuntur è discordijs; enumerans ea nominatim, quæ à regibus perperam facta ex eo tempore, quo Imperatorem deseruere.

Anno hujus Imperatoris vigesimo primo, SIANGCUNGO vitâ functo UENCUNGUS ejus filius devictis ingenti prælio TARTARIS, occupatisque ferè omnibus, quæ spectant occidentem, ad XANSI provinciæ fines ultra FUNGCIANG, urbem pervenit. Ibi KIMONTEM regni sui limitem fecit, quâsque ultra hunc montem orientem versùs eodem victoriæ impetu regiones occuparat, quæ multæ fuerunt, eas Imperatori gratis restituit, omni ferè XENSI provinciâ in potestatem redactâ contentus.

## DECIMUS QUARTUS IMPERATOR U O N U S.

Imperavit annis XXIII.

*Cyclo 33. anno  
59. ante Chris-  
tum 719.*

**U**ONUS PINGI ex filio nepos ad fastigium euectus, nihil prius habuit, quàm ut restitutâ imperio dignitate regulos revocaret ad obsequium. Quod ubi consilio non potuit obtinere, armis tentavit, sed æquè irritò successû. Nam primo statim prælio à CHINGO Regulo fusus, acceptoque vulnere, terras imperio subjectas recuperandi spem abiecit; tantummodò sollicitus, quî relicta tueretur. Nec aliud memoriâ dignum de illo invenio. CHINGUS erat ex imperatoriâ familiâ CHEVA, SIUENII Imperatoris patruus. Ita dominandi libido consanguineos etiam in se mutuò armavit.

DECI-